praeſentatiuam vniuerſi, §. 782. immortalis, vt anima humana, §. 781, 783. naturalius in beatitudine vel damnatione, quam ſemel ingreſſus eſt, §. 787, 791. dum durat, perdurans, quam vt ſemel inſigniter beatus damnetur, aut v. v. §. 791.

PARS IV.

THEOLOGIA NATVRALIS.

PROLEGOMENA.

§. 800.

THEOLOGIA NATVRALIS eſt ſcientia de deo, quatenus ſine fide, cognoſci poteſt.

§. 801.

Theologia naturalis prima philoſophiae practicae, teleologiae et theologiae reuelatae principia continet. Ergo refertur, §. 2. cum ratione ad metaphyſicam, §. 1.

§. 802.

Theologia naturalis 1) conceptum dei 2) operationes eius conſiderat.